

mihī licuit, manum operi admovi, ut illud iterum vulgarem, in eoque conficiendo vestrae utilitati magis prospicere satēgi, adeo ut hoc Lexicon, quod anno MDCCCLXXII vobis sistebatur, a priori eius editione valde immutatum existeret. Etenim tum materiam magis emendatam mole duplicavi; tum congruentem Patrum sive loquendi rationem, sive doctrinam appositis adnotationibus identidem protuli; tum denique quomodo ex terminorum distinctione, effatorumque recta interpretatione sophismatum solutio, verorumque dogmatum probatio derivari possit, subinde significavi. Et quoniam non pauca, quae Theologicis disciplinis rite percipiendis viam muniunt, hoc lexicon peripateticum complectitur, philosophico-theologicum ipsum inscripsi.

Tertiam hanc Lexici Peripatetici editionem prodo, et quo emendatior atque locupletior evaderet, cum cura adlaboravi. Nemini autem negotium facessat, si ab eiusdem Peripateticis proposita quandoque exempla occurrant, quae hodie scientiarum physicarum incremento haud satis quadrant; ea enim afferendi consilium mihi fuit, ut illorum theorias fidei explanatione enunciarem; praesertim vero cum ex iis nihil quicquam detrimenti capiat doctrinae veritas.

Illud denique pro certo habeatis, me non alia de causa hunc laborem suscepisse, quam ut vestris commodis, quantum per me fieri possit, consulerem. An istum mihi propositum scopum attigerim, aliis iudicandum relinquo. Vivite, optimi Adolescentes, huiusque Ecclesiae bono valete quam diutissime.

Neapoli festo die sancti Antonii Patavini MDCCCLXXXI.

A

DISTINCTIONES

I. AB EXTRINSECO — AB INTRINSECO. 1° *Ab extrinseco* motus¹ esse dicitur in eo, quod « non cooperatur ad motum, nisi recipiendo impressionem agentis tantum ». E. g. generari est moveri ab *extrinseco*; siquidem per generationem « aliquid acquirit primam perfectionem sui esse, quae est etiam primum principium activum in ipso²»; ac proinde, cum generatur, non potest moveri per aliquod principium activum, quod iam sit ipsi intimum. Item motus ab *extrinseco* est in eo, quod « acquirit etiam perfectionem superadditam, qua limites suae formae excedit, seu quae ex principiis suae naturae non profluit, sicut cum paries depingitur, vel aer illuminatur³ ». *Ab intrinseco* motus esse dicitur in eo, quod per quamdam iam in ipso existentem perfectionem, tamquam per principium activum sibi proprium, illum « operatur; sicut patet in motu naturali locali, et in sanatione, quae fit virtute naturae tantum⁴ ». Ita etiam omnes operationes animae dicuntur motus ab *intrinseco*⁵. Quod si perfectio, quae iam in re existit veluti principium alicuius motus, « non sufficit ad operandum effectum, sed cooperatur agenti exteriori »; tunc motus esse dicitur partim ab *intrinseco*, partim ab *extrinseco*, « sicut patet cum ars naturam adiuvat⁶ ». 2° *Ab extrinseco* veritas alicuius rei cognoscitur, cum ex principiis extra naturam rei sumtis constat; puta ex aliorum auctoritate. *Ab intrinseco*, cum argumentis ex ipsa natura rei petitis evincitur; e. g. immortalitas animae humanae ex eo quod est substantia immaterialis. 3° *Ab extrinseco* pro *extrinsece*, atque ab *intrinseco* pro *intrinsece* quandoque accipiuntur⁷.

¹ Advertito nomen *motus* latiori sensu intelligendum hic esse. Vid. vox *Motus*, litt. M.

² S. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XXII, q. II, a. 1, sol. 1 c.

³ *Ibid.* — ⁴ *Ibid.* — ⁵ I, q. LXXVIII, a. 1 c.

⁶ *In lib. IV Sent.* loc. cit. — ⁷ Vid. has voces, litt. E.

II. ABSOLUTE—ACCOMMODATIVE. *Absolute*, vel *secundum distributionem absolutam* toti speciei illud attributum convenire dicitur, quod singulis individuis aequè convenit, puta omnes homines libertate pollent. *Accommodative*, vel *secundum distributionem accommodam* illud, quod aut non omnibus omnino individuis, aut omnibus, sed non eadem ratione convenit; e. g., omnes homines sunt mendaces; omnes mala patiuntur. Ita etiam s. Thomas, explicans illa verba *Ps.*, *Omnia subiecisti sub pedibus Eius*, inquit: « Illud *omnia* non est distributio accommoda ad aliqua genera, sed absolute ad omnia, quia omnia generaliter *Ei* (*Christo*) et universaliter subiecta sunt ¹ ». Explicans autem quomodo *Christus pro omnibus* mortuus sit, subdit: « *Pro omnibus* dupliciter potest intelligi; vel ut sit distributio accommoda, scilicet pro omnibus praedestinatiss, vel absolute pro omnibus quantum ad sufficientiam, sufficiens enim quantum ad se omnibus est, *I Tim.*, c. 4: *Qui est Salvator omnium, maxime fidelium*. *Chrisost.*: *Pro omnibus hominibus generaliter mortuus est, quia omnibus pretium sufficit. Et si omnes non credunt, Ipse tamen quod suum est implevit* ² ».

III. ABSOLUTE — COMPARATIVE. *Absolute* seu *simpliciter* de subiecto illud praedicatur, quod ipsi convenit non quatenus comparatur cum aliis, sed quatenus in seipso spectatur. *Comparative*, id quod eidem subiecto convenit, prout cum aliis confertur. E. g., ignis noster *absolute* urere dicitur; *comparative* autem, nempe prout comparatur cum igne inferno, instar picti ignis urere censetur. Hac distinctione explicat s. Thomas, quomodo creaturae aliquid sint, et nihil sint; siquidem *absolute* seu *simpliciter* non sunt nihil; sed *comparative*, nempe prout comparantur Deo, sunt nihil ³.

IV. ABSOLUTE — CONNOTATIVE. *Absolute* inter se differunt illae voces, quae res diversas significant. *Connotative*

¹ In *Cap. II Ad Heb.*, lect. II.

² *Ibid.*, lect. III. Vid. etiam I, q. XIX, a. 6 ad 1. Exemplum *distributionis accommodae* affert s. Augustinus, ubi scribit: « Tamquam si dicamus verbi gratia, . . . unus est hic litterarum magister, qui omnes docet: neque ibi intelligi possunt omnes, nisi qui discunt »; *De peccatorum meritis et remissione*, lib. I, c. 28, n. 56.

³ *Qq. disp.*, *De Ver.*, q. II, a. 2 ad 8.

autem voces, quae eandem rem significant, ita tamen ut altera quamdam relationem involvat, quae in altera non exprimitur; cuiusmodi sunt *Deus* et *Creator*. Huc spectat distinctio inter terminum *absolutum* et *connotativum*; ille tantummodo rem, e. g., *Deus, homo*, iste autem rem una cum relatione ad aliud exhibet, e. g., *Creator*, praeter actionem Divinam, quae est ipsa *Essentia Divina*, quam praecipue significat, relationem huius actionis ad creaturas indicat. Exinde s. Bonaventura fallaciam huius argumenti, *Creatio est actio Divina; seu Deus; atqui Deus est aeternus; ergo creatio est aeterna*, ostendit: nam « aliquid, quod est aeternum ratione principalis significati, idest, quod est aliquid aeternum, ratione connotati dicitur temporale ¹ ». Ampliori autem sensu terminus *absolutus* dicitur, qui significat aliquid instar per se stantis, e. g., *homo, iustitia*: *Connotativus*, qui aliquid significat instar adiacentis, e. g., *corporeus, animatus*.

V. ABSOLUTE — DEPENDENTER. Idem fere valent ac *Essentialiter — Participative* ².

VI. ABSOLUTE — HIC ET NUNC. *Absolute* quidquam spectatur, si nullius adiuncti ratio habetur. *Hic et nunc*, si omnia adiuncta, puta loci, temporis, aliaque, quae nunc in re occurrunt, inspiciuntur. Ita natura rei materialis ab intellectu *absolute*; a sensu e contrario, prout ea est *hic et nunc*, cognosci dicitur ³. Ita etiam *ambulatio absolute spectata* est quaedam actio *indifferens*; *ambulatio* autem *Petri hic et nunc* potest esse praemio digna.

VII. ABSOLUTE—HYPOTHETICE. *Absolute necessarium* « dicitur quod est necessarium per id, quod in essentia sua est ». Hoc autem duplex est, nempe vel huiusmodi, ut habeat necessitatem, et *esse* ab alio; e. g., hominem esse rationalem; vel huiusmodi, ut eius necessitas non dependeat ab alio, sed ipsum sit causa necessitatis in omnibus necessariis; et hac ratione solus *Deus* est *absolute necessarius* ⁴. *Hypothetice necessarium* est quod, spectata rei natura, aliter esse, et evenire potest; ast, aliqua posita con-

¹ In *lib. I Sent.*, Dist. XXX, a. 1, q. I ad arg.

² Vid. has voces, litt. E.

³ Hinc intelligis, quid sibi velit, intellectum abstrahere ab *hic et nunc*. Vid. *Intellectus abstrahit a materia*, litt. I.

⁴ In *lib. I Sent.*, Dist. VI, q. I, a. 1 sol.

ditione, necessario evenit, et ita se habet. Quare huiusmodi necessitas, ut s. Bonaventura advertit, « non opponitur contingentiae; nam aliquod contingens necessario sequitur; ut si ambulat, necessario sequitur, quod movetur ¹ ». Hinc actiones humanae, quia praevitit eas Deus, non sunt *absolute* necessariae, nam ratione suae causae, quae libera est, possunt esse, aut non esse; sed tantum necessariae *hypotheticae*. « In praescito, subdit Seraphycus Doctor, non est necessitas absoluta, sed solum consequentiae, idest *hypothetica*; quia necessario sequitur, Deus praescit hoc; ergo hoc erit ² »; eadem ratione, qua quidquid est, dum est, necessario est. Et sane, « contingens, ait Aquinas, refertur ad Divinam cognitionem secundum quod ponitur esse in rerum natura: ex quo autem est, non potest non esse tunc quando est; quia quod est, necesse est esse, quando est, non tamen sequitur, quod simpliciter dicatur necessarium ³ ». Rursus, *hypotheticae* necessarium aliquid dicitur ex conditione finis; et est, ut s. Thomas ait, « illud, sine quo non potest consequi aliquis finis, vel non ita faciliter. Finis autem est duplex, vel ad esse, et hoc modo cibus, vel nutrimentum dicuntur esse necessaria, quia sine eis non potest esse homo; vel pertinens ad bene esse; et sic dicitur esse navis necessaria eunti ultra mare, quia sine ea exercere non potest actionem suam ⁴ ».

VIII. ABSOLUTE — MODALITER. 1^o Illud, quod in se tantum, idest in sui substantia inspicitur, *absolute*: illud vero, quod in quadam sui conditione, *modaliter* considerari dicitur. Ita manus expansa a manu contracta non quidem *absolute*, sed *modaliter* differt ⁵. 2^o *Absolute* aliquid enunciatur de subiecto, cum tantum illius ad istud relatio exprimitur; e. g., homo est ratione praeditus: *Modaliter*, cum modus, quo attributum refertur subiecto, indicatur; e. g., necesse est, ut homo sit ratione praeditus. 3^o Potest aliquid, uti mox dicemus, esse *accidens* vel *absolute* vel *modaliter* ⁶.

¹ In lib. I Sent., Dist. XXXVIII, a. 2, q. 1 ad arg. — ² Ibid.

³ Qq. dispp., De Ver., q. II, a. 12 ad 3. Vid. S. Anselm., De conc. Praesc. Dei cum liber. arbit., c. II.

⁴ In lib. I Sent., loc. cit.

⁵ Vid. Simpliciter — Secundum quid, litt. S; et, Ut Sic — Absolute, litt. U. — ⁶ Vid. Accidens absolutum-modaliter.

IX. ABSOLUTE — TOTALITER. *Absolute* aliquid accipitur, cum tantum secundum sui naturam, praetermissis eius adiunctis, consideratur: *Totaliter* vero idem significat *universaliter*, sive *omnino*. E. g., virtutes *totaliter*, seu omnibus modis sunt bonae; divitiae autem et honores tantum si *absolute* spectentur ¹. Atque, ut a rebus theologice exemplum sumamus, Corpus Christi viventis et mortui, *absolute* fuit idem numero, « quia non habuit aliam hypostasim vivum et mortuum, praeter hypostasim Verbi Dei »; at *totaliter* non fuit idem numero, nam « corpus, quod desinit esse vivum, non totaliter idem remanet ² ».

X. ABSTRACTIO FORMALIS — ABSTRACTIO TOTALIS. *Abstracte* significat alterum ab altero separare; unde res, quae sumitur *separatim* ab iis, quibuscum coniungitur, dicitur *abstracte* sumta. Porro abstractio, quae in scientiis occurrit, non est abstractio *realis*, seu *materialis*, quae posita est in vera separatione eorum, quae naturaliter coniuncta sunt, puta cum ab ave pennae avelluntur; sed abstractio *intentionalis* sive *logica*. Iam haec fit per intellectum, qui in aliqua re ad unum attendit, relictis aliis, quae cum hac iuncta reperiuntur: uti si alicuius aedificii sola latitudo consideratur. Haec autem abstractio duplex est, scilicet *totalis*, seu *universalis* et *formalis*. Abstractio *totalis* fit, cum natura superior, sive universalior sine notis, quibus ad speciem, vel individuum determinata est, spectatur; uti cum de aliquo homine cogito ipsum esse animal rationale, quin cogitem ipsum esse hunc hominem; vel, cum animal considero, quin ipsum, uti hominem, inspiciam. Dicitur *totalis*, quia natura communior, e. g., *animal*, se habet ut totum respectu naturae inferioris, e. g., *homo*. Abstractio autem *formalis* fit cum in sui essentia tantum aliqua natura accipitur extra subiectum, in quo subsistit, vel cui inhaeret, e. g., *humanitas*, *albitudo*. « Duplex, ait s. Thomas, fit abstractio per intellectum: una quidem, secundum quod universale abstrahitur a particulari, ut animal ab homine; alia vero, secundum quod forma abstrahitur a materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili ³ ». Hinc abstractio, qua corpus naturale consideratur, utpote consti-

¹ Vid. s. Thom. 2^a 2^{ae}, q. LVIII, a. 10 ad 2.

² 3, q. L, a. 5 c. — ³ I, q. XL, a. 3 c.

tuens obiectum scientiae physicae, non est quidem *formalis*, sed *totalis*. Circa huiusmodi duplicem abstractionis speciem haec etiam adnotare praestat. Abstracta priori ratione, secus ac illa, in quibus abstractio est *formalis*, 1° significari possunt *in concreto*, e. g., « homo significatur ut qui habet humanitatem », 2° « Non prohibentur habere aliquid aliud, quod non pertinet ad rationem (nempe *essentialiam*) horum, nisi solum quod est oppositum his. Et ideo homo... potest aliquid aliud habere, quam humanitatem »¹. E contrario, *humanitas* non nisi *in abstracto* significatur, et quoniam solam rei essentialiam indicat, nihil aliud praeter ipsam exhibere potest².

XI. ABSTRACTIO NEGATIVA — ABSTRACTIO PRAECISIVA. *Abstractio negativa* est ea, qua non modo concipitur unum sine alio, cum quo coniunctum est, sed negatur etiam illi inesse; uti si parietem apprehendam, non apprehensa alitudine, quae in eo est, et dicam: *paries non est albus*. *Abstractio autem praecisionis* est qua unum mente concipitur sine altero, absque affirmatione, aut negatione, adeoque efficit ut intellectus consideret subiectum, non habita ratione alicuius accidentis; puta si parietem sine alitudine intelligam, nihil affirmando, nihilque negando. Per hanc abstractionem intellectus agens considerat essentialiam rei ab accidentibus seiunctam, et speciem intelligibilem efformat³. Primum abstractionis genus dicitur etiam *abstrahere per modum compositionis et divisionis*; alterum, *per modum simplicitatis*. « Abstrahere, inquit s. Thomas, contingit dupliciter: uno modo per modum compositionis et divisionis, sicut cum intelligimus aliquid non esse in alio, vel esse separatum ab eo: alio modo per modum simplicitatis, sicut cum intelligimus unum, nihil considerando de alio »⁴.

XII. ABSTRACTIVE—INTUITIVE—COMPREHENSIVE. Praedi-

¹ Vid. s. Thom., *Super Boet., de Hebdomadibus*, lect. I.

² De abstractione *totali* et *formali* vid. Caiet. in *Prolog. De Ente et Essentia*.

³ Vid. *Intellectus agens*, litt. I.

⁴ I, q. LXXXV, a. 1 ad 1. Hoc genus abstractionis s. Augustinus innuit his verbis: « Iam porro ab eo, quod est in memoria, animi aciem avertere, nihil est aliud, quam non inde cogitare »; *De Trin.*, lib. XI, c. 8.

cantur hae voces de cognitione. *Abstractiva* cognitio ea dicitur, qua res non cognoscitur prout in seipsa est, eo quod per speciem alterius rei apprehenditur. *Intuitiva*, qua res, uti in seipsa est, immediate cognoscitur, eo quod tamquam cognoscibilis, sive, ut aiunt, *in ratione obiecti cogniti*, immediate menti adest vel per suam essentialiam, vel per speciem sibi propriam. E. g., cognitio, qua mens Deum in hac vita attingit, est *abstractiva*; illa autem, qua Beati fruuntur, est *intuitiva*¹. Iam ipsa cognitio intuitiva vel est *simpliciter intuitiva*, vel etiam *comprehensiva*, qua nempe res non solum prout in seipsa est cognoscitur, sed etiam *tantum cognoscitur, quantum in se cognoscibilis est*², ita ut cognitio totam rei magnitudinem exaequet, et exhauriat³. Huiusmodi est cognitio, quam Deus de seipso habet. Ita etiam Angeli *comprehensive* cognoscunt omnia sibi inferiora ordinis naturalis. *Intuitiva* cognitio distinguitur etiam contra *discursivam*; de quo vid. voces *Intuitive-Discursive*.

XIII. ACCIDENS LOGICUM—ACCIDENS PHYSICUM. *Accidens physicum*, sive *praedicamentale* significat omne illud, quod *substantiae* opponitur, ideoque est illud, cui convenit esse non in se, sed in aliquo subiecto; hoc est, inhaerere substantiae; uti figura, et modus quilibet. *Accidens vero logicum*, seu *praedicabile* est qualitas, quae ita advenire cuidam subiecto intelligitur, ut neque eius essentialiam constituat, neque ab essentialia necessario fluat; ut esse doctum, album etc.; quocirca definitur: *quod adest, vel abest sine subiecti ipsius corruptione*; hoc est, sive subiecto convenire cogitetur, sive non convenire, nihil mutatur de illius essentialia. Hinc color niger, etsi a corvo sit inseparabilis, tamen est accidens, quia licet corvus albus esse intelligatur, nihil intelligitur, quod essentialiae corvi repugnet.

Ex qua explicatione intelligis peccatum, etsi animam quodammodo corrumpat, tamen, secus ac Flaccus Hillyri-

¹ De cognitionis *intuitivae* et *abstractivae* acute agit Ioann. a s. Thoma, *Cursus philosophicus*, pars I, q. XXIII, art. 1, p. 283 sqq. Lugduni 1678.

² Vid. s. Thom., I, q. XII, a. 7 c.

³ « Illud scientia comprehenditur, quod scientis comprehensione finitur »; s. Aug., *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 18. Et *Ep. XLVII*, c. 9:

« Res comprehenditur, cum ita videtur, ut nihil eius lateat videntem ».

cus putavit, est accidens; nam ipso et manente per reatum et maculam, et sublato per iustificationem, adhuc subiectum, idest anima suam essentiam retinet. Id magis fit perspicuum ex eo quod peccatum, seu malum non quidem *effective corrumpit bonum*, sicut pictor dicitur *facere album parietem*; sed *formaliter*, eo modo loquendi, quo dicitur *albedo facere album*; nempe malum « ratione ipsius privationis dicitur corrumpere bonum, quia est ipsa corruptio, vel privatio boni ¹ ».

XIV. ACCIDENS MODALE—ABSOLUTUM. Sunt duae species accidentis *physici*. Accidentia absoluta sunt quae proprie substantiam afficiunt, modi autem, secundum quos accidentia absoluta substantiam afficiunt, dicuntur *accidentia modalia*. E. g., calor aquae est accidens absolutum; intensio autem, vel remissio caloris est accidens *modale*. Iam accidentia absoluta Scholastici docent ita inhaerere subiecto, ut possint virtute Divina sine illo existere ².

XV. ACCIDENS RESPECTIVUM—ACCIDENS ABSOLUTUM. *Accidentia absoluta*, prout contra accidentia respectiva distinguuntur, sunt quae in subiecto manent, hoc est, substantiam ita afficiunt, ut ordinem ad aliud in ea non ponant; e. g., quantitas in ligno. *Accidentia respectiva*, seu *relativa* sunt quae in subiecto non manent, hoc est, substantiam ita afficiunt, ut in illa ordinem ad aliud ponant; e. g., aequalitas, per quam lignum ad aliud refertur. Quare essentia accidentis *respectivi* non in eo, quod substantiae inest, sed in eo, quod substantia per *esse* ipsius ad aliud refertur, consistit.

XVI. ACCIDENS SPECIEI — ACCIDENS INDIVIDUI. *Accidens speciei* est illud, quod ex cunctis et adaequatis principiis speciei per se consideratis emanat, ac proinde essentiam speciei necessario consequitur; e. g., esse liberum in ente intelligentia praedito. *Accidens individui* profluit ex principiis speciei, prout haec in individuo determinantur, et ideo eius essentiam contingenter consequitur. Primum dicitur *proprium*, et est quartum *praedicabile*; alterum est quintum *praedicabile*, seu illud accidens *logicum*, de quo paulo ante diximus ³. Utrumque vocatur *accidens*, quatenus neutrum essentiam rei ingreditur, et ideo ei accide-

¹ I, q. XLVIII, a. 1 ad 4.

² Vid. *Accidentis esse est inesse*.—³ Pag. 7.

re, seu advenire intelligitur; illud quidem necessario, istud vero contingenter; ac proinde illud dicitur accidens *per se*, hoc autem accidens *per accidens* ¹.

XVII. ACCIDENTALITER—ESSENTIALITER. 1° *Accidentaliter* dicuntur invicem differre individua, quae ad eandem speciem pertinent; e. g., Socrates et Plato. *Essentialiter* ea, quae vel toto genere sunt diversa, et in nullo genere conveniunt, uti Deus, et creatura, vel quae licet conveniant in aliquo genere, differunt tamen vel in aliis proximis generibus, uti homo, et arbor, vel saltem in specie, uti homo, et equus. 2° Illa substantia, quae alteri advenit secundum contactum, e. g., vestis homini, vel sicut motor mobili, e. g., Angelus corpori, quod assumit, *accidentaliter* illi *advenire* dicitur. *Essentialiter* autem quae alteri ita advenit, ut vel cum ea unum *esse* completum constituat, quemadmodum fit in coniunctione animae et corporis in homine; vel licet alteri adveniat post eius *esse* completum, tamen trahitur ad unionem in illo *esse*, « sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeeistenti; non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam ² ». Hinc etiam demonstrat s. Thomas naturam humanam, etsi advenit Filio Dei habenti esse perfectum ab aeterno, tamen Ei non uniri *accidentaliter*, nam « Verbum Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim, sive personam; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae; sed ad unum esse, prout est hypostasis, vel personae ³ ». 3° *Essentialiter* praedicatur de subiecto illud, quod constituit speciem, idest essentiam illius, vel ex principiis speciei necessario producit, atque ideo eius oppositum eidem subiecto repugnat, e. g., ratio, et libertas de homine. *Accidentaliter*, vel *contingenter* illud, quod etsi negetur de subiecto, vel oppositum affirmetur, eius essentia adhuc consistit, e. g., esse philosophum de Socrate.

XVIII. ACTIO IMMANENS—ACTIO TRANSIENS. *Actio immanens* ea est, cuius terminus in ipso agente, tanquam in subiecto recipitur; uti contemplatio, quae manet in con-

¹ Vid. s. Thom., *Qq. dispp., de Pot. Dei*, q. V, a. 4 ad 3.

² 3, q. II, a. 6 ad 2. — ³ *Ibid.*

templante. *Transiens* vero; cuius terminus est in subiecto distincto ab ipso agente; uti calefactio, quae manat a calefaciente in id, quod calefit, eique formam aliquam imperitur, idest calorem. Haec proinde, docente s. Thoma¹, est potius perfectio patientis, illa vero ipsius operantis. Ex qua notione actionis immanentis et transeuntis demonstratur creationem ad genus actionis transeuntis pertinere, nam « est talis actio, quae effectum exteriorem relinquit² ».

XIX. ACTIO—FACTIO. 1^o Operatio immanens *actio*, operatio *transiens factio*, sive *effectio* proprie dicitur. 2^o Operatio, quae subiectum, in quo fiat, non ex postulat, *factio* potius quam *actio* dicitur. Hinc aiente s. Bonaventura: « *Creare non est agere, sed facere*. Et in hoc differunt *agere* et *facere*; nam *agere* in quid agat, exigit, *facere* autem e converso³ ». 3^o *Effectiones* sunt operationes, quae post se opus aliquod relinquunt, ut aedificatio domus: *actiones*, quae nihil operis effecti post se sinunt, ut saltatio, aut cantio⁴. 4^o *Actiones* sunt operationes, quas ex praeceptis et legibus vitae, ac iuris regulis aestimamus: *effectiones*, quas ex regulis, et praeceptis suarum artium. Hinc ab actionibus absolute boni dicimur, aut mali; ab *effectionibus* non item, sed boni tantum, aut mali artifices. E. g., qui iuste, aut fortiter *agit*, absolute bonus dicitur, et iustus aut fortis, et qui in iustitiae aut fortitudinis leges impingit, omnino malus, et iniustus, aut ignavus nuncupatur. At qui concinne canit, non omnino bonus, sed cantor solum bonus, et qui minus apte canit, non continuo malus habebitur, sed malus cantor.

¹ 1^a 2^{ae}, q. XXXI, a. 5 c.

² In lib. I Sent., Dist. XL, q. I, a. 1 ad 1.

³ In lib. II Sent., Dist. I, p. I, a. 1, q. I ad arg.

⁴ « Facere dicitur in artibus effectricibus, in quibus remanet res, quae fit, ut in fabrili et similibus. Absoluta enim effectio, remanet lectus. Agere autem dicitur in iis, in quibus non remanet opus, idest quod fuit effectum, ut in tibiae ludo et saltatione »; s. Ioann. Damasc., *Dialect.*, c. 65. Et s. Ambrosius: « Artium aliquae sunt in corporis motu, aut sono vocis, quorum ubi cessavit motus, aut sonus, nihil superfuit, aut remansit spectantibus, aut audientibus. Aliae huiusmodi sunt, ut, cessante quoque operationis officio, operis munus appareat, ut aedificatio, atque factura, quae etiam, tacente artifice, peritiam eius ostendunt, ut operatori operis sui testimonium suffragentur »; *Hexaem.*, lib. I, c. 5.

XX. ACTUS—POTENTIA. Actus significat 1^o operationem; e. g., actus intellectus, et eiusdem operatio idem sunt. *Actus* hoc sensu acceptus *actus secundus*, ut mox dicemus, appellari consuevit, eique opponitur potentia, seu facultas, quae est proximum principium, ex cuius virtute operatio producitur. 2^o Significat vel id, quod rem determinat, seu perficit; unde *actuare* est determinare, seu perficere; e. g., anima est actus corporis; rationalitas est actus animalitatis: vel quod ex aliqua re educitur, cuiusmodi est ignis, qui ex ligno evolvitur, aut figura Caesaris in marmore insculpta. *Actus*, cui haec significatio adnectitur, vocatur actus *formalis*, eique e contrario respondet potentia *passiva*, seu *subiectiva*, quae est capacitas subiecti ad recipiendum actum formalem sive substantialem, sive accidentalem, v. g., dispositio corporis ad recipiendam animam, pelluciditas aëris ad lumen suscipiendum, capacitas marmoris inelaborati ad recipiendam figuram etc.¹. 3^o Quandoque usurpatur pro ipsa entitate, seu existentia rei, qua ratione quidquid est extra nihilum, sive existit, dicitur *actus entitativus*, vel *habere actum entitativum*; eique opponitur *potentia obiectiva*, quae est mera rei possibilitas, seu non repugnantia ad existendum, in qua potentia modo est Antichristus, qui licet non existat, potest tamen existere².

XXI. ACTUS HOMINIS — ACTUS HUMANI. *Actus humani* sunt ii, in quos homo virtutem eligendi, ac proinde dominium exercere potest, et quoniam voluntas est, quae per rationis consultationem, seu deliberationem aliquid prae alio eligit, ideo actus humani sunt qui a voluntate deliberata procedunt. Dicuntur autem *humani*, quia sunt proprii hominis, prout est homo, et a creaturis ratione carentibus distinguitur. *Actus hominis* appellantur, qui non sunt proprii hominis, prout est homo, idest fiunt sine deliberatione rationis, ac proinde sine electione voluntatis³. Ex his colligitur *humanos* proprie esse illos actus, qui *quoad modum operandi* actiones excedunt rerum ratione carentium, non item qui tantum *quoad substantiam* proprii sunt hominis, puta intellectiones, et volitiones

¹ Vid. *Forma-Materia*, litt. F.

² Vid. *Potentia subiectiva — Obiectiva*, litt. P.

³ 1^a 2^{ae}, q. I, a. 1 c.